

1769

A S C E T I C I.

1770

*sanctarum uirtutum dignitatem in similitudine unius simplicissima candidissimeque columbe disponere, ut uos ad eandem formam animam uestram dirigere studeatis. &c. Extrema Libri III. Deinde donec finem rei (Ascensionis Christi) aspiciere potuerunt: Exultabant plorantes: cantabant. Totum ad formandos Ordinis Tirones dirigitur. Illud inditum non praeteribo, fol. 7. commendari: Opuscula cuiusdam nostri monachi, quorum primum incipit: Qui sequitur me, et rursus fol. 25. p. 2. Opusculum monachi nostri, quod incipit: Qui sequitur me. Quid igitur Monachi hujus nomen tacet Scriptor? An Thomam de Kempis Carthusianum habuit? An aliud Opusculum ab eisdem uerbis incipit?*

DCCXXXVI.

R. 3115 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 47. 4. nitide per scriptus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij sancte dorothee in wienna*, pro quo et exaratus uidetur, ita insignitur: *Incipiunt constitutiones domini Benedicti pape de uita Canonorum regularium.* Est is *Benedictus XII.* sollicitus claustralis Disciplinae exactor, qui *Auenione Idus Maji* anno Pont. quinto, uidelicet 1339. has Constitutiones dedit. Earum initium: *Ad decorem ecclesie sponse dei et sanctarum religionum in ea fundatarum &c.* Ad calcem minio: *Expliciunt constitutiones Domini Benedicti pape De uita Ca-*

*nonicorum regularium militantium sub Regula Beati Augustini ypponensis episcopi finite Anno Domini Millesimo Quadringentesimo. Decimo nono in Die Sanctorum martirum Sergij et Bachi.* In Elencho sequenti 46. Capitulis distinguuntur. Alia diuisio est in *Car. Cocquelinii Bullario T. III. P. 2. p. 264.*

DCCXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 744 XV. Folior. 179. f. per duas columnas exaratus et minio distinctus inscribitur: *Expositio regule Beati Augustini episcopi secundum fratrem humbertum Magistrum ordinis predicatorum.* Quintus fuit in serie Vir hic magnae autoritatis et Scriptis notus, quorum *Varia jam Vol. I.* retulimus. Praefens bene distinguendum ab *Expositione Constitutionum Ordinis sui*, cujus etiam Liturgica digessit, constat *Capp. XCVIII.* et incipit: *Cogitanti mihi de sermone qui exijt inter fratres &c.* finit uero: *se totam regulam implese et ad amplius non teneri.* Ubi subditur: *Explicit liber. Anno Ab incarnatione Domini. M. CCCC. VIII. finitum.* Editiones referuntur in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 145.* Obijt *Humbertus a. 1254.* Index *Capp.* Codici adiectus a *Cap. 80.* auulsus est.

DCCXXXVIII.